

nuper tamen habuimus verba infrascripta per unam personam missam ab uno nepote domini Hostiensis, fratre episcopi cenetensis, quod Dominus Papa et cardinales essent contenti dare et tradere Marchiam et Romandiolas Vestro Dominio solvendo certum facile censum Ecclesie. Et quum scimus quod ista sunt verba domini hostiensis, respondimus illi quod quantum ex vestris mandatis super hec nil dicere poteramus, set super hoc cogitaremus et faceremus responsa suo loco et tempore. Hec diximus pro possendo scribere vobis ista et pro sentiendo velle vestrum in tali negocio. Habemus etiam nova certa quod V galee provinciales sunt armate Marsilie, que debebant portare hunc legatum romanum antequam esset factus legatus in ambaxata ecclesie ad dominum Ludovicum Apulee et jam iverat ipse legatus Marsiliam pro ascendendo galeas predictas. Et habemus sicut dicitur et vulgarizatur ab omnibus, quod de intentione ipsarum galearum est ire in cursum in partes Levantis sicut ipse galee posuerit ambaxatorem in terra.

Nicolaus Pisani, Pangracius Georgio et Johannes Steno ambaxatores veneti ad Dominum Papam.

Datum Avinioni, die XVIII Junii, tercie indictionis.

#### DOCUMENTO II.<sup>o</sup>

#### **Secreta Consilii Rogatorum — R. B. (II) c. 81 t. e segg.**

Exemplum quarundam litterarum missarum Dominio per nobilem virum Johannem Steno ambaxatorem ad Dominum Regem Aragonum, de eodem mandato transmissum.

Excellentissime Domine mi, post factam expositionem et ambaxatam meam Domino Regi Aragonum, Rex ipse respondit quod Barones suos volebant consulere et postea respondere, et hoc dicebant littere mee quas Florianus cursor nuncius vester portavit vestro Dominio. Scribendum nunc habeo quod, vocatus ad presentiam eiusdem Regis, accessi; qui, inter alia, michi dixit quod Dominus Bernardus Vicecomes Cabrerie tractaret et ageret mecum in hiis pro quibus veneram, et quod de mandato suo fiebant quecumque dicerentur et tracterentur in ea re per Vicecomitem antedictum. Tractans ergo cum ipso non semel sed pluries, ei petebam, et nunquam ab isto me movi, quod vellet michi facere cautum et manifestum quid voluntas et intentio Regis haberent ad hanc ligam et unionem firmandam, set, procedentibus longis verbis, Vicecomes predictus dixit quod de intentione Regis volebat facere quedam